



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliæ Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

48. An Episcopus, vt possit ordinare aliquem ratione beneficij, illud debeat  
esse perpetuum? Et asseritur, non posse quem ordinari rartione  
Capellaniæ, etiam perpetuæ: posse tamen ordinare in ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76405](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-76405)

# De Sacram. Ordinis. Ref. XLVIII.&c. 291

quo natus est, vel censetur natus. Idem dicendum de Ordinibus sacris, quos cum dispensatione possit suscipere.

## RESOL. XLVIII.

*An Episcopus, ut possit ordinare aliquem ratione beneficij, illud debet esse perpetuum?*  
Et afferitur, non posse quem ordinari ratione Capellaniæ, etiam perpetua: posse tamen ordinari in Commendam, si Commenda est perpetua: nam Commenda perpetua est beneficium. Ex part. 8. tract. 2. Refol. 19.

§. 1. **R**espondeo affirmatiuè cum Acugna de *Sacramentis Ordinum*, quæst. 3. scilicet 6. & aliis; nisi ordinandus aliunde habeat titulum. Vnde Acugna in Decretum Gratiani part. 1. distinct. 71. num. 8. sic ait: *Quero an tale beneficium debeat esse perpetuum, & non sufficiat esse manuale, & amovibile?* Respondeo negatiuè, cum Franc. Domin. citatus Rebuff. in princi. iii. de Clericis, & a quibus, num. 21. Garcia num. 3. Intelligi si ordinandus aliunde habeat titulum, non beneficium manuale, & amovibile ad nutum, non potest prestatre titulum, ad quemquis ordinatur.

2. Sed non deferam hic apponere verba Aluaris Valasci tom. 1. alleg. 5. num. 26. sic afferentis: Notandum est, quod sufficit ordinari ab eo Episcopo, in quo ordinandus habet beneficium, sive respectu ipsius ordinem suscepit, sive non, ut notat glossa verb. *Ecclesiasticum*, in d. cap. cum nullus, ea ratione, quia textus generaliter loquitur, & non distinguunt. Et idem nec nos distinguere debemus, non distinguemus, ff. de arbitrio cap. confutatio 2. q. 5. & sequuntur in d. cap. cum nullus, Lapis, Ioan. Andr. Dominic. num. 8. & Francus n. 3. vers. singlo. verb. *Ecclesiasticum*, ampliantes sive beneficium sit perpetuum, sive ad tempus, & ad nutum removibile, cum interim habeat titulum, secus si in Commendam, quia Commenda non est titulus, cap. nemo deinceps, de elect. Ita ille. Hinc Capellaniæ, quando est perpetua, & in titulum collata, sufficit ut Episcopus possit ad ordines promouere, ut tradit Riccius part. 1. decif. 189. num. 9. vbi citat Salcedum, Nauarrum, Azorium, Zerolam, & Felicianum, quibus adde Sanchez in opus. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 23. num. 8.

3. Nota tamen, quod Garcia de beneficiis, tom. 1. pari. 2. cap. 4. num. 7. & Marchinius de *Sacramentis Ordinum*, tractat. 1. part. 5. cap. 8. num. 9. afferunt, non posse quem ordinari ratione Capellaniæ, etiam perpetua. Concedunt tamen Garcia num. 10. & Marchinus num. 12. posse quem ordinari in Commendam, si Commenda sive perpetua: nam Commenda perpetua est beneficium.

## RESOL. XLIX.

*An quis possit ordinari ab Episcopo, in cuius Diocesis est beneficium, licet sit tenuis?*  
Et notatur ratione beneficij tenuis posse aliquem ordinari ab Episcopo, vbi est beneficium, etiam si illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo residet, nec in illius Dioecesi, & sic non eximatur a iurisdictione primi Episcopi. Ita Garcias, & Barbosa loc. cit. quos in casu contingenti, videlicet quando quis ordinari potest ratione beneficij, omnino videndos esse existimo. Ref. 51.

Tom. II.

§. 1. **N**egatiuam sententiam docet Prosper de Augustino, Vgolinius, Piascius, quos citat, & sequitur Squillante de obligat. cler. ca. a. dub. 18. n. 138. quibus adde Riccius in decif. Archiep. part. 3. decif. 77. Et ratio est, quia Concilium Tridentinum fess. 21. de reformat. c. 2. postular, vt beneficium sit sufficiens, vt possit quis facris Ordinibus insigniti.

2. Sed ego proflus puto in tali casu, posse Episcopum sacros Ordines conferre, & ita hanc sententiam docet Garcia de beneficiis, tom. 1. part. 2. cap. 4. num. 8. Henriquez lib. 10. cap. 22. §. 1. iuncta glossa lib. C. & cap. 17. in glossa lib. Q. & nouissimum Barbosa de iure Pontificis lib. 1. cap. 33. num. 38. Ratio est, quia cap. 33. nullus, de temp. ordin. simpliciter loquitur de habentibus beneficium, nec explicar illius valorem, & quantitatem; & ideo, quod est valde notandum, sacra Cardinalium Congregatio, teste eodem Barbosa ubi supra cap. 39. n. 17. consuit in una, Iauensi die 18. Mar. 1628. promotum ad Ordines cum collatione vnius beneficij redditus duorum scutorum annorum, qui incendens in habitu laicali cum armis, dum caperetur à birruarii vnum ex illic occidit, & ad carcerae laicales adductus fuit, gaudere priuilegio fori. Ita sacra Congregatio: vnde ex his non potest adduci in materia de qua loquimur, opinio Soti de iustit. lib. 10. quæst. 3. art. 3. alioquin beneficium tenuissimum esse, quod non attingit ducatos octo, vel secundum Campanili, quod non attingit quatuor ducatos in anno; non, inquam, obstant he Doctorum opiniones: nam, ut vobis est, sacra Cardinalium Congregatio censuit beneficium duorum ducatorum esse sufficiens ad gaudendum priuilegio fori: ergo etiam ad sumendos Ordines; ex quibus ostium priuilegium fori. Sanchez in opuscul. tom. 2. lib. 7. cap. 1. dub. 22. num. 7. dixit, sufficere beneficium quantumvis tenuis, ut quis possit ordinari ab Episcopo vbi est beneficium. Restat modò respondere ad argumentum Concilij Tridentini adductum pro negativa sententia. Dico igitur, quod Concilium ibi determinat, quod quis non possit ordinari ad titulum beneficij tenuis, non autem afferit, quod si ordinandus beneficio patrimonio sufficiens ad vicuum adiungat, non possit ordinari ab Episcopo. Igitur aliud est querere, num beneficium sufficiat pro titulo, aliud si sufficiat ut tanquam subditus ratione beneficij possit promoueri ad Ordines.

3. Notandum est etiam hic obiter ratione beneficij tenuis, posse aliquem ordinari ab Episcopo vbi est beneficium, etiam si illud beneficium non requirat residentiam, nec in illo residet, nec in illius Dioecesi, & sic non eximatur a iurisdictione primi Episcopi. Ita Garcias, & Barbosa loc. cit. quos in casu contingenti, videlicet quando quis ordinari potest ratione beneficij, omnino videndos esse existimo.

## RESOL. L.

*An Episcopus possit ordinare aliquem ratione beneficij si illud sit tenuis?*  
Et quid si tenui beneficio adiungatur patrimonium, ita ut et constatum ex utroque sufficiat ad sustentationem.  
Et notatur Sacram Congregationem respondisse promovit ab alieno Episcopo ex causa beneficij tenuissimi male promovit frusile, ipsumque promovit suspensum esse ab executione Ordinum, atque collatorem à collatione per annum.  
Et ex eadem declaratione, & Congregatione afferitur gaudere priuilegio fori quemdam Clericum ordinatum

Sup. hoc in  
Ref. seq. & in  
1. post seq. §.  
vlt. & infra in  
Ref. 53. §. vlt.

Sup. hoc in  
Ref. 1. not.  
præterita, &  
in Ref. 2. in  
eodem §.

Sup. hoc in  
Ref. 1. not.  
prima huius  
Ref. 5. Et vt.  
& in Ref. 3.  
§. vlt. post  
medium, à  
vers. Quare.  
Sup. hac resi-  
dencia inf. in  
Ref. 51. & 52.

B b 2 cum